

Zincum oxydatum album.

(Loco Florum Zinci.)

Rx. Zinci sulphurici, quantum vis.

Solve in

Aqua servidae Decuplo,
 filtra et praecipita sufficiente quantitate
 Natri carbonici, in Aqua soluti.
 Praecipitatum album bene ablutum et caloris ope sicca-
 tum, in vitro clauso serva.

Zincum purum.

Zincum exploretur, an heterogeneis metallis inqui-
 natum sit, et simili depuretur; methodo sequente:

Liquefiat in crucibulo, igne tam moderato, ut maneat
 fluidum. Agitando virga ferrea, injice per vices Sulphuris
 frustula. Si Sulphure formantur scoriae, Zincum impu-
 rum est; quod depuratur, scorias removendo, et denuo
 Sulphur injiciendo, idque continuando, donec tandem
 comburatur Sulphur immissum, nullis omnino producis
 scoriis.

Zincum sulphuricum.

(Vitriolum Zinci.)

Rx. Zinci puri in frustula parva diffracli, quantum placet.

Solve in

Acidi sulphurici diluti quantitate sufficiente.
 Solutione facta filtra, et post idoneam evaporationem
 in crystallos redige, quas siccatas serva.
